


Olivarii ad Phaedriam suam epistula de nonnullis monitionibus et solemnium nataliciorum et priscorum Sinensium ad salutem nostram spectantibus.

Ultimum responsum tuum, carissima, me tam laetiorem quam inquietiorem fecit, causamque sollicitudinis nunc eo clarius fatebor quod remedium in malo semper inesse censeo. Nam ego, ex eo quod scripsisti, intellego te acerbissimam his temporibus aciem in ceteros collegas nisi in genus humanum conjicere. Cum vero ipse radices judicii tui facile delineare possim qui non solum easdem vitae ac operae conditiones sed etiam eosdem sensus animi expertus sim, tamen te moneo ne sic sensus cum ipso corde tuo ita confundas ut aliquando tristitia et acrimonia cum animum tum animam tibi conterant ! Tales enim animi motus non virgines sed aliquos senes decent, id est hos miseros qui vim imaginandi puerilem obliti proni sint ad mortem immobilem.

Estne quod Phaedriae nomen tibi sit ? Tum Amicus deprecatur ut personam tragicam eripias. Fleo nec plundo. Sed res ipsae flebiles, ais. Tum nisi mihi ratiocinando parum credas, cum respondeam sensus de rebus eligendos nobis consciis esse, tamen Naturae quidem quasi matri oboedieris. Etenim eius ipsam vocem recognosco in eo quod haec inter nos communicamus paulo post solstitium hiemale, cum non fieri possit quin obscuritas noctis quamquam longissima minuatur luminique cedat. Sic omnia mutantur, ut sapientissima Natura profert, cuius rota salubris me ipsum nuper furore tritum occursavit. Tunc vero temporis non in collegas neque in adultos sed in discipulos falso atque in vanum clamationes et iras eructebam quasi Vulcanus ipse cum suis cycloibus fulmina Jovis in meis ipsis visceribus tunderet ! Tum amicum tuum vix recognovisses nec sine summo horro ! Nihilominus, paulo post Harmonia, quae magnam partem vultum uxoris meae habet humanae, in me tanto patienter ac dulce inflavit ut flammae subito sedatae sint eisdemque discipulis ab illo tempore non sine amore summaque laetitia usus sim.

Tales autem mutationes olim inciderunt in observationes et cogitationes antiquorum Sinensium tam bene nisi melius quam Graecorum. Nam illa rerum rota etiam argumentum est unicum illius miri famosique libri qui tempore Heracliti in altera extremitate mundi compositus est eidemque titulus Sinensis est 易經 (pronuntia *yì jīng* secundum pinyin transcriptionem) scilicet *Liber mutationum*. Atque serius, ut scis, in eadem terra longinquissima universae mutationes per relationes quinque elementorum [五行 : *wǔ xíng*] intellectae sunt : 木(*mù*) et 火(*huǒ*) et 土(*tǔ*) et 金(*jīn*) et 水(*shuǐ*) scilicet lignum, ignem, terram, ferrum (sive metallum) et aquam. Sinenses firme credebant atque per medicinam suam experti sunt ea quinque elementa quae res universas, tempora anni dieique et saپores et colores et viscera et mentes et cetera, quadam symbolica physica constituant, non solum bina suas oppositiones ac societas habere sed imprimis cyclico sine fine modo in semetipsa mutari. Quae relationes repreäsentari possunt in figuris quales hae infra :



Facile intelligitur, si crassas lineas in circulum cum animo consequitur, ferrum e terra gigni, aquam autem e ferro, lignum ex aqua, ignem e ligno, denique terram ex igne. Huic enim doctrinae

spectaculum ipsius naturae quaedam fundamenta suggestit. Etiam multiplex est haec logica symbolica, qua multiplicatae intellectio humanae fortius persuasibilis sit : nonne ferrum igne vincitur ac destrui potest, item ferro lignum, et ligno terra et terrā aqua et aquā vicissim ignis ? Quod ad rem nostram attinet, scilicet eos motus animi qui judicia nostra de rebus quotidie contingunt, haec rerum intellectio novum ac mirum conspectum aperit si mente subtegitur ignem ad alacritatem referendum esse, terram autem ad gravitatem animi, ferrum ad luctum, aquam ad metum et angorem, tandem lignum ad iram et furorem. E tali spectatione deduci licet non solum animi motus ac sensus excessivos saluti et corporis et mentis nocere sed etiam hos ipsos excessus quandam in modum cogitationem nostram impellere.

Sic apparent antiquos Sinarum doctos non aliter ac sapientes qui per Aevum nostrum medium ac Renascentiam de microcosmo et macrocosmo disseruerunt omnia omnesque comprehendisse in eisdem notionibus. Quid significat ‘omnes’ ? Quod illae doctrinae homines quasi unum esse praebent et efficaciter probant, mea quidem sententia. Neque aliter docet Evangelium aliaeque Scripturae cuiusdam sacrae antiquitatis. Ergo usque ad conclusionem practicam jam adeamus : cum aciem nimis animosam in ceteros circumducis, te primam sic vides et aestimas. Num ista visio et aestimatio ceterorum tibi juvat ? Quomodo in ipso corpore te sentis cum tam venenosam mentem geris ? Num judiciis istius generis factis vires in nobis augentur ut res circum nos meliores se habere fortasse possint ? Jam igitur tantum malum in te carissimam desinas instillare suadeo. Quod si difficile sit mentem mutare tibi quippe quae conditiones vitae non mutes, fac idem ac facio : aciem et mentem aliquorum converte, cordi somnia maxima permittens. Nam ita vult ipsa natura. Vox enim Latina illa ‘elementum’ non recte reddit sensum Sinensis notionis quam illud verbum 行 ambos pedes hominis ambulantis figurans exprimit. Sic igitur cedo : ubi novas et alienas semitas trivi, etiam usque plagas Orientis si necesse fuit, cum in anteriores reveniam, hae mihi aliter apparent, atque tunc prosilio in ipsas, pulsus enim inflatusque vehementi quietudine beataque miratione de rebus et hominibus obviis. Itidem his diebus festis id votum voveo ut non nisi improvisas ac sublimes peregrinationes facias, cara Phaedria. In insula ubi tristitia te claudit noli morari ! Duc in altum ut aliasque tu ipsa liberes !

Perpiniani d. XXIV m. Dec. a. MMXII p. C. n.